

quod multi in homine eveniant morbi, quorum cognitio, non nisi
 habita simul ratione quadam mentis corpori iuncte acquiri possit.
 Inter alia enim Philosophiæ Heraclitæ dogmata, id non exiguum
 erat, quo omnes anime, imo etiam demones ex Deo quasi e-
 manasse, indeque potentiam quandam, in corporibus varias muta-
 tiones producendi impetrasse, tradebatur: quæ si productæ fuerint,
 divinum quid contigisse judicabatur. Ejusmodi demones vi qua-
 dam pollere credebantur, homines conjiciendi in morbos sæpe atro-
 cissimos. Quo plane inepto dogmate cum medici quidam HIPPO-
 CRATIS tempore viventes, ad ægrum sanandum vocati, artis au-
 tem suæ ignari, supra modum uterentur, ut inscitiam suam tege-
 rent; morbo, quo eger decumberet, divinitatem quandam prætex-
 entes, ægroque nuntiantes, morbum suum a demone esse excitatum.
 In ejusmodi medicos, vel potius agyrta noster HIPPOCRATES
 libro de morbo sacro graviter animadvertit. Qui cum vero ipse au-
 ctor sit, medico ediscendum esse τὸ ΘΕΙΟΝ ἐν τῆσι νόσῃσι
 aliam utique cum eo, quod divinum esse solet in morbis, senten-
 tiam ipsum conjunxisse elucet; nisi ejusdem vitii HIPPOCRA-
 TEM simul arguere velis, quod ipse in aliis summa reprehensione
 dignum esse censuit: id quod autem de tanto viro ne cogitare qui-
 dem fas est. Verum enim vero cum in multis scriptorum suorum
 locis satis diserte declaraverit HIPPOCRATES, ea esse ad morbos
 explicandos, accurateque dijudicandos conferenda, quæ & ex ipso
 homine depromuntur, & ad hominem possunt facilius adplicari:
 nihil jam ob stare video, quo minus, rebus sicce comparatis, intel-
 ligatur, per τὸ ΘΕΙΟΝ in morbis perdiscendum nil aliud contem-
 disse HIPPOCRATEM, quam quod multi morbi cognosci neque-
 ant sine attenta mentis consideratione; utpote ex cujus statu rationes
 sæpe reddende veniant, quare corpus atrociter excrucietur. Quod
 ex sententia HIPPOCRATIS omnino divinum esse debet, quippe
 quem in multis aliis HERACLITVM esse secutum constat; quid-
 ni ille etiam hoc loco ex hujus philosophia dictum terminum depromere
 potuisset? Sed quid multa opera, ad genuinum HIPPOCRA-
 TIS sensum de τῷ ΘΕΙΩ ἐν τῆσι νόσῃσι vindicandum? quem
 TV, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, in doctissima Tua
 dis-